S 3

MICHAELIS PAVANELLI

VICETINI

CARMINUM

PARS ALTERA.

VICETIÆ MDCCXCIV.
APUD JOANNEM DE RUBEIS
Superiorum Permissu.

Odisti claves, & grata sigilla pudico:

Paucis ostendi gemis; & communia laudas,

Non ita nutritus.

Horat. ad lib. ſuum, Ep. 20.

IN SANCTISSIMUM CHRISTI CORPUS,

DIE EJUS FESTO,

PER URBEM SOLEMNI POMPA DEFERRI SOLITUM.

CARMEN.

ILla dies igitur, lux eſt hæc illa beata;
Annua felici referens Solemnia Mundo,
Qua Verbum omnipotens, ſummi indubitata Parentis
Progenies, parvi celans ſub imagine Libi
Flagranteſque Dei vultus, cœleſtiaque ora;
Præcipuo ſeſe nobis dat honore colendum?
Illa dies hæc eſt, qua te, pulcherrime rerum,
Per noſtras ducique vias, populoque frequenti
Stipari aſpiciam, Dominumque Deumque vocari?
O longe expectata dies, multumque cupita,
Exere jam tandem, ſummo caput exere Olympo;
Læta veni, noſtriſque adſis nitidiſſima votis.
Te decet inſignem Domini ſpectare triumphum;
Te Chriſtum ſpectare decet, ſua magna adeuntem
Lætanti jam Feſta pede, ac per compita noſtra
Splendentem late & claro fulgore micantem:
Quem Sol, quem Luna exoriens, quem ſidera adorant,
Quem ſtygii proceres, atque infera regna tremiſcunt,
Delicias Chriſtum cœli, terræque Salutem.
Nam quæ te noſtri pietas, magne Arbiter Orbis,

Cepit, ut his ultro velut immiscerier umbris,
Humanum curare genus, mortalia adire
Non dubites; nulloque unquam non tempore pergas
Ampla in nos manibus profundere munera plenis?
Tu nostros miserans olim, Rex alme, labores,
Infandumque Adæ casum, quo funditus omnis
Scilicet, infernis tenebris ſævoque tyranno
Addicta, æternum soboles humana peribat,
Dignatus superis bonus es descendere ab oris,
Infirmosque subire artus, moribundaque membra
Induere, & generis lapsi reparare ruinas.
Quin & terdenos nobiscum, atque amplius, annos
Tunc placitum exegisse tibi; quo mentibus alte
Et Recti insereres, diæ & Virtutis amorem.
Atque hìc quæ poterit dicendi copia, quæ vis,
Quod tantum illa tua eloquium benefacta referre
Plurima? quis monitus, vitæ & præcepta beatæ?
Queis pravos hominum mores, per fasque nefasque
Præcipites, fræno injecto ad meliora reduxti:
Justitiæque vias docuisti, & rebus honestis
Vel summas postponere opes, desuescere curis
Terrenis, & totam in cœlum figere mentem.
Hæc miranda quidem; longe at majora, tuumque
Immensum quæ in nos penitus testentur amorem,
Edidit ille tuus divini pectoris ardor,
Intima inexhaustis urens tibi viscera flammis.

Nam

Nam cum supremæ scires tibi tempora lucis
Illa propinquare, humanæ queis fausta salutis
Exorsa absolvenda forent, repetendaque regna
Ætherei Patris, tanto jam debita Nato;
Solatus mœstos blando sermone Sodales,
Bis senum pia corda Patrum, tua signa secutos,
Pellere tristitiam longe, fortique bonoque
Esse jubes animo. Non vos ego tempore in ullo
Destituam, patiarve, inquis, discrimina missis
In tanta auxilium ut nostrum & præsentia desit.
Dum Cœlum hoc, celsi dum stabunt mœnia mundi,
Et firma junctus compage tenebitur Orbis,
Usque adero, & præsens vobiscum Ipse usque manebo.
Externam hanc tantum tenui velamine formam
Obducam, penitusque alia sub imagine Corpus
Sensibus objiciam Hoc vestris. Absistite vano
Suspensi trepidare metu, sensuve moveri.
Sic ais; & Cerere accepta, non multa moratus,
Ora iterum reseras, ac præsentissima verba,
Sidereo mirante polo, mirantibus ipsis
Cœlitibus, super effaris: jamque inseris illum
Te subito in Panem, jam te largiris edendum,
Et sancto attonitos reficis libamine Patres:
Idque tui eximium deinceps mortalibus ægris,
Æternumque fore affirmas per sæcula Munus,
Quo melius terris, quo non dare majus haberes.

Digitized by Google

Salve, o divinum, salve, admirabile Munus;
Nos quoque post tanto exhilarans, refovensque sereno
Conspectu. En cuncti, quotquot coiisse frequentes
Huc cernis, prisco veterum de more Parentum
Culturi tua Festa, Sabæaque thura daturi,
Adsumus, & meritos læti instauramus honores,
Quorum vel seros volumus meminisse Nepotes.
Eja agite, insolito decorentur Templa paratu,
Candidaque auratis velentur limina sertis.
Spargite humum passim violis, & flore recenti
Purpureas ornate vias, ornate superbis
Textilibus, resonentque novo pia Compita cantu.
Omnia plena Deo, & tanto sint Numine digna.
Nostra sed in primis mundentur corda; repostas
Quisque sui latebras scruretur pectoris, ulla
Ne forte insideant commissa piacula, per quæ
Infelix subeat contempti Principis iram.
Sic fieri jubet ipse Deus, cui nulla placere
Munera, nulla potest fictæ pietatis imago,
Ni abstersis nitidus maculis, & purus ab omni
Flagitio est animus, mens nulli obnoxia culpæ.
Nulla ergo imperiis tantis mora. Sternimur omnes
Ante tuos, bone Christe, pedes, veniamque rogamus:
Jam piget errorum nostrorum, jam pudet actæ
Tam male nos vitæ, jam pœnitet. Aspice mitis
Nunc tandem, & bonitate tua complectere fessos,

Irri-

Digitized by Google

Irriguis vultum lacrimis pectusque rigantes,
Et fœdus violasse, & se peccasse fatentes
Jam toties: populoque tuo, tua rite colenti
Nunc Sacra, deposita pius & placabilis ira,
Tristitiam facito mansura in gaudia vertas.
Quin quacumque feres hodie vestigia, nostras
Lustratura domos, procul hinc expelle potenti
Virtute ærumnas omnes, curasque sequaces,
Morborumque invisum agmen. Lis, Visque, Dolusque
Diffugiant, longaque levent formidine terras.
Quas contra pleno tandem bona Copia cornu
Incolat, alma Fides, & Pax, Bonitasque, Pudorque,
Et veræ Virtutis amor, Rectique cupido.

De Petro Antonio Zovio Paroeciam S. Petri Ineunte.

ET merito luce hac conversi in gaudia luctus,
Qua nec Pastorem carumve amîsse Parentem
Dicemur, nostrûm nec quisquam sentiet. Eja,
Intempestivæ procul hinc, procul ite querelæ:
Intempestivæ prorsus vel tunc quoque, ademptus
Cum nobis Verius, si tam doctusque piusque
Si proprio tam de grege sollicitus, vigilansque,
Postremo si talis erat Successor habendus.

CAMILLO BERNARDINO GRITTI

Vicetina Prætura abeunte.

> . . . . Est animus tibi
> Rerumque prudens, & secundis
> Temporibus dubiisque rectus,
> Vindex avaræ fraudis, & abstinens
> Ducentis ad se cuncta pecuniæ.
> *Hor. Lib. IV. Od. 9.*

SI mea cum vestris dudum rata vota fuissent,
Bergæi Cives; nec tam cito jussus abiret
Grittius insigni Prætura functus, euntem
Nec luctu nos illum prosequeremur amaro;
Verum hìc æternum Prætorque Parensque maneret.
Quem quoniam Superum nobis non æqua voluntas
Abnegat, ac Fati dura inclementia; nosque
Hoc ipsum ut forti aut sedata mente feramus,
Vix sperare datur; miseris quod restat, inanes
Ne saltem questus rumpamus pectore, at acrem
Tristitiam, atque ægrum cantu solemur amorem.
Illius egregias virtutes tollere ad astra
Jamdudum, & summa exoptant benefacta Camœnæ.
Quam bene, & ex adytis tanquam ac Phœbi ore locutus,
Die Plato, cum felices tum denique vere
Dixti Urbes, si vel Docti illas ac Sapientes
Perpetuo regerent, vel eos, qui regna tenerent,
Doctrinæ vis redderet ac Sapientia cultos!
Hæc data nempe salus populis atque urbibus una.

En

En tibi perfectus Sapiens tandem ille repertus,
Grittius antiquo Venetum de sanguine, gentem
Qui ſibi commissam vera virtute bearet.
Cur itidem, ah cur felices in te retinendo
Non fuimus spatia annorum per plura, Camille!
Invidiosa nimis, propria hæc si dona fuissent.
Per te Relligio ac Pietas, fundamina prima
Regnorum, incolumes servatæ; sartaque per te
Ac tecta omnia ad antiquos spectantia mores.
Te incorrupta suum novit Themis ipsa patronum
Præcipue, ac terras ultro secura revisit.
Ad tua perfaciles aditus noctuque diuque
Limina cumprimis expertus quisque, nec ullis
Non ædes auresque tuæ patuere querelis.
Nullus amor nummi, rerum tibi nulla cupido
Vim potuit ſic inferre, ut de tramite recto,
Quem tu jampridem urgebas, deduxerit unquam.
Nec te unum modo talem, sed frugi atque modestos,
Justi cultores, ac turpia lucra perosos,
Quosque ex Prætoria visus præstare Cohorte:
Scilicet a te delectos, virtutis amicos,
Quique sui decoris rationem habuere, tuique.
Namque malos, siquem tibi Fors transversa dedisset,
Continuisses nimirum, cum te ipse refrænes.
Dîs plane similis, qui seque suosque coërcet.
Custodem vere te Urbs hæc, te numen amicum,

Non

Digitized by Google

Non dicto infensum non facto sensit, iniquis
Lædentem aut fictis causis socialia jura.
Persæpe & nimia Asperitas censetur acerba,
Quam condimento veluti non mitigat inter-
Spersa suo Bonitas: præsertim sceptra tenentis.
Sed quid ego hæc versu pergo celebrare, tuisque
Laudibus in summis nulli nocuisse repono?
Stymphali e barathro, mediisve e faucibus Orci
Emissi valeant Verres, valeantque probrosi
Pisones, animæ viles, devotaque diris
Natio, queis lucra ac sua tantum commoda curæ.
Tu siquidem, cui fixum animo immotumque sedebat
Inde usque a puero, esse ejus qui præsit, eorum,
Queis præsit, fortunis ac servire saluti;
Pulchrius hinc ingressus iter, quo duxit Honestas
Ipsa manu prensum, tenuisti impervia cursu;
Ullum nec te unquam, possemus ut esse beati
Multo quam ipse magis, studium aut vigilantia fugit.
Nam sapiens recolit Prætor secumque volutat,
Imperii esse datum sibi jus, ut reddat; iisque ab
Legibus esse datum, quas & venerarier æquum,
Ceu Jove prognatas, ad quasque redire necesse est.
Quam sæpe adversis in rebus fortiter a te,
Posthabito te uno, provisum, credita ut omnis
Gens tibi divitiis, opibus, cultuque vigeret,
Nedum vel damni quidquam labisve subiret?

Quid

Quid dicam, ut plebis sortem miseratus iniquam,
Abjectosque animos, cum effusis imbribus aucti
Sæpe amnes, humilesque vias vicosque tenerent
Urbis, præsenti auxilio tu juveris, atque
Largus præſtiteris, diram sibi quisque levare
Unde famem poſſent? Quid, quod dein voce tuoque
Consilio in primis perfectum, operaque salubri,
Publica mox fabricentur ut horrea, maximum egenis
Solamen, bona ubi frugum servetur in annos
Copia, si quando ingruerit penuria victus?
Eximia hæc pietas, animi hæc moderatio, tanta
Hæc vitæ integritas, virtutum hæc lumina, debent
Moribus in tam corruptis divina videri
Haud dubie. Quæ, ſi quidquam mea carmina poſſunt,
Nullibi terrarum, nullo unquam tempore, Gritti
Optime, deficient, aut nocte obducta latebunt.
Quam vere te admirata est Provincia tota,
Ut quemdam priscis ductum ex annalibus, ipso
Aut nobis potius delapsum e culmine cœli!
Illius & talis viguit sapientia quondam,
Tali animo & caram in Patriam Venetum fuit ille
Andreas decus, & rebus tutamen in arctis,
Unde genus ducis clarum & super æthera notum:
Andreas, cui adeo acceptus tu, docte Georgi
Trissinea de gente sate, ac certissime alumne
Calliopesne, an Melpomenes dicam, anne utriusque?
Cui-

Digitized by Google

Cuique Eretheniis Orator miſſus ab oris,
Delatum illi ultro ſummum es gratatus Honorem.
An non juſta ſatis nobis ſit cauſa dolendi
Hoc tanti Prætoris diſſidium? Hic tamen ipſe
Hic mœror, qui nunc ingens nos conficit omnes,
Perlongam tibi lætitiam, tibi gaudia, Nato
Vero etiam uſque tuo decus afferet. O reliqua hujus,
Vincenti, ſoboles ſpectati ſanguinis una,
Et te ſuccendat tantarum gloria rerum,
Et te mox Adria, ac tellus mox Itala cernat,
Ardua per Patris veſtigia progredientem
Figere Virtutis ſupremo in vertice plantas.
Tu certas animo, Genitor, ſpes concipe: ut ore,
Æque is ſolerti gaudet te mente referre,
Impubes quamvis, & adhuc puerilibus annis;
Tot quando ac tanta illi exempla micantia præbes.
Sic, matre anteeunte, aquilaï interrita proles,
Vel medio effulget cum Sol ardentior axe,
Haud dubitant oculorum aciem convertere ad ipſum
Immortale jubar plaudentes, luminibuſque
Excipere immotis radiantia fulgura lucis.
Omnium abunde omnes collegiſti undique laudes:
Te bonus æquat cœlo; nil habet improbus, in te
Quod merito excipiat, quod jure reprendere poſſit.
Grittius (hæc Vicetinis vox omnibus una)
Sic ſeſe exhibuit totis bis menſibus octo,

In

In media tanquam Venetum jus diceret Urbe,
Non ſocios populoſque inter procul inde remotos.
Leniat o deſiderium tua gloria noſtrum!
Gloria, quæ, viridis culto velut arbor in horto,
Floreat, inque dies, longas & creſcat in horas.
I, Patriam interea, dulceſque reviſe Penates:
Nec tamen, heu! noſtri capiat te oblivio: & abſens,
Et magnis Patriæ meritis & honoribus auctus,
(Horum namque tibi certus prænuncius adſum)
Vicetiæ velis uſque Pater dicique & haberi.
Plura tibi Cives ſtatuent ſimulacra per urbem,
Hoc quæque inſculpto ſignantes carmine: SACRUM
PRÆTORI EGREGIE DE SE MERITO MONUMENTUM.
At potius benefacta, animi in penetralibus imis,
Virtuteſque tuas ſacrabunt juſtius, atque
Marmore, vel fuſo reddent magis ære perennes.

LUSUS.

AUt alium tibi quære torum, aut, ſi te tamen, hoſpes,
Hic dormire juvat, ſcito hac te lege teneri
Naſidia. Quicumque pepederit, atque alienos
Improbus infeſto naſos fædarit odore,
Continuo ſubeat mulctam hanc, ut rite, ſupino
Dena voret tacitus petulanti cornua πρωκτῷ.

N. N.

N. N. Oratori celeberrimo Gratulatio de Maria Filiâ inſignia D. Auguſtini ſumente in Cœnobio &c.

DIvini optantem Sponsi Connubia Natam;
Et sacra festino properantem ad limina gressu,
Paule, Fori decus insigne & laus maxima, quotquot
Aut tibi amicitiæ sacrato fœdere juncti,
Afflictisve tuum rebus sensere aliquando
Forte patrocinium, tibi dum pro tempore tali
Gratantur, fausta & felicia cuncta precantes,
Quid tibi me, haud uno devinctum nomine, oportet
Nunc facere, ingratæ ut devitem opprobria mentis?
Quandoquidem hoc primis vitium exsecratus ab annis
Usque fui; nec me quisquam, si vera fatendum,
Ullius immemorem meriti jure arguet. Ergo,
Quod tenues unum nostræ tibi ferre Camœnæ,
Paule, queunt, male tornatis & agrestibus hisce
Versiculis primum ingentem Natæque tibique
Lætitiam, atque sui testantur gaudia vatis:
Dein placidum utrique exoptant longumque serenæ
Vitaï cursum, quem lethi nescius alter
In supera excipiat longeque beatior aula.

Subſcribendum Imagini protervæ cujuſdam Mulierculæ.

Allicit ac terret vultu mala Fœmina eodem:
Quoque ferox magis est, miseros hoc acrius urit.

Lu-

Lusus in Famulum:
Dum Auctor Venetiis hoſpitaretur apud Patricios Viros &c.

Affer aquam, puer; heus, quid cessas? affer & ignem,
Ut solitus. Quidnam hocce novi? cur surdior angue
Me rumpi clamore sinis, cur numina divum
Cuncta ciere, tibique malum furcamque precari?
Quod scelus admisi tantum imprudensve sciensve
His mihi tam cultis præstantis in ædibus Emi?
Num Dominæ venerandum ausus tentare cubile?
Num capsæ insidiari, aut famæ, aut denique vitæ?
Quid merui, cur hospes aqua interdicar & igni?

Tetraſtichon.

Hoc, quodcumque vides hinc emersisse, Viator,
Cassum opus, eque rudi cæmento informe cadaver,
Quid sit, vel fuerit, nolito quærere. Equestris,
Aurea cum dederint hoc Fata, Palæstra futura est.

Subſcribendum Imagini Vincentii Vicarii, J. U. D. & de Latinis Muſis optime meriti (*).

Carmina sint quamvis tua vel suavissima; mores,
Ingeniumque fuit tibi longe suavius illis.

(*) Obiit Anno 1749. V. Kal. Junii.

In

Digitized by Google

In propoſitum quoddam Problema; utrum inſanior qui nihil, an qui omnia admiratur?

Julius Θαυμαστὴς, & Licinius Καταφρονητὴς inter ſe βαττολογοῦσι.

ΘAv. Gaudeo te salvum, Licini, rediisse. Quid affers?
Kat. Πάντα γέλως, καὶ πάντα κόνις, καὶ πάντα τὸ μηδέν.
Θ. Evax! Magnorum eructas jam dicta Sophorum!
K. Atqui unum hoc, hoc unum, ipso vel Apolline dignum,
Orbe peragrato, didici. Θ. Simul esse facetus.
Sed quid visa tibi in primis pulcherrima Roma?
K. Quod tibi Monticulum pridem, Maladusque, Scledusq.
Θ. Dj melius! quæ monstra refers? an ludere pergis?
K. Nec ludo, nec monstra loquor; nec fingere novi.
Sic mihi visa. Θ. Illa armipotens Mavortia Roma,
Septem quæ ùna sibi muro circumdedit arces!
K. Saxa admirari cęmentaque nescio, Juli.
Θ. Quæ cunctis miranda suevit gentibus esse?
K. Stultis nimirum, & quos rerum inscitia vexat.
Θ. Salve, Milesi Thales! K. Stolidum hic quoque vulgus,
Ut video. Θ. Quid tecum? K. Nil. tantum mihi dicas,
Quidnam habeat tua Roma, adeo mirabile quod sit?
Θ. Sæclorum prior occurrit veneranda vetustas.
K. Num venerabilior Terraque vetustior ipsa?
Θ. Imperium deinde Orbis utroque ab littore. K. Partum

Vi nempe, igni, ferro, cædibus, atque rapinis.
Θ. Pontificum at nunc sedes, purpureique Senatus.
K. Nempe hominum, ceu nos; forma nempe oris eadem.
Θ. Quid, quæ auro gemmisque corusca palatia surgunt?
K. Sæpe humiles habitare casas felicius. Θ. Eja:
In terris quæque, ut video, tibi maxima sordent.
K. Πάντα γέλως, καὶ πάντα κόνις, καὶ πάντα τὸ μηδέν.
Θ. At non quæ cæli supra in regione ferantur.
K. Hunc solem, hanc lunam nimirum, hæc sidera dicis.
Θ. Quis non tanta, precor, miretur corpora lucis?
K. Corpora vana, animæ mentisque expertia? quis non?
Θ. Tempora momentis & decedentia certis?
K. Quo spectanda modo, quo sensu credis & ore?
Θ Cunctisque æterna sancitum lege tenorem?
K. Hæc nulla imbutus prorsus formidine specto.
Θ. Dispeream, ni tu mi hodie insanire videris.
K. Insanus non est, qui nil miratur. Θ. Et ipsæ Cli,
Hoc faciunt pecudes. K. Quid tum? Una hæc solaque, Ju-
Res est, quæ possit facere & servare beatum.
Θ. Ast ego cum reliquis malo miser omnibus esse.
K. Ignoras rerum naturam scilicet. Θ. Ipsum
Te ignorare magis, vel quovis judice vincam.
K. An, quæso, Cœlum ac terras, hominesque Deosque...
Θ. Jam scio quo tendas. Effari cætera parce.
K. Quæve hinc atque illinc casu fatove oriuntur.....
Θ. Claude os sacrilegum, sceleratam comprime linguam.

K. Et mortem, & tenebras, & nomina vana timere....
Θ. Aufugio procul hinc, retices ni protinus. K. Hæc est,
Hæc, inquam, sapientia, non insania vera?
Θ. O major tandem cedas insane minori.

De Circo ad Curſus Equeſtres exſtructo in Campo Martio extra Pomeria Vicetinæ Urbis : Anno 1787.

INgeniis studiisque almæ, pulcherrima, Pacis
Usque vigens, nullique Urbium concedere visa
Artibus egregiis unquam atque ingentibus ausis,
Dum pandi nocturna jubes utrobique Theatra,
Cuique vel Erethenus(1), vel cui dat nomen Olympus(2),
Hinc choreis, facibusque apte splendentibus, illinc
Eximiis mulcens præcordia cantibus; Ecce,
Externos, Civesque alia ad spectacula læta
Invitans, hilaransque novo tentamine rerum,
Quo tamen antiquæ revocas tibi laudis honores (3),
Ecce diurna etiam nobis ad ludicra præbes
Amphitheatrales iterum, Vicetia, Ludos.
Euge, Parens generosa Virûm, Retronis in oras
Marte tuo Alphææ revehis quæ ad flumina Pisæ
Percupide spectata olim certamina Grajis!

In-

(1) Nuovo Teatro in Vicenza sulle sponde del fiume Ereteno, o sia Retrone.
(2) Il celebre Teatro Olimpico della stessa Città: il qual venne illuminato in que' giorni a solenne Festa, per S. E. Pietro Vettor Pisani, nel terminar ch' ei fece la gloriosa sua Prefettura.
(3) Si allude agli Spettacoli dell' antico nostro Teatro di Berga.

Inſcriptio Sepulcralis.

Victor . Vincentius . Daniel
Piſani
H. S. E.
Hunc terris tantum oſtendit Lux ſexta Decembris,
Proh dolor! exſurgens invida Nox rapuit.
An. MDCCLXXXVI.
Petro . Victore
Piſani
Parente . infeliciſſimo
Vicetiæ . Præfecto.

In eundem Circum, nondum perfectum, & turbine dejectum.

QUod celeri modo ſurgebas mirabile niſu,
Et Vicetini delicium populi,
Immiti, heu! raptum ventorum turbine, & atra
Late divulſum clade repente jaces! (*)
Quiſnam te invidit nobis Deus? Optima quæque
Ipſo naſcendi in limine ſic rapiet?
Haud aliter clarum & nuper, Piſania Proles,
Te ſidus noſtris finibus exoriens,

Mor-

(*) Aſſai peggior di queſta fu però la rovina di un ſimile Anfiteatro di legno, eretto in Fidene da un certo Atilio, al tempo dell' Imperator Tiberio, deſcritta da Tacito nel IV. de' ſuoi Annali, pag. 146. Ediz. Comin.

Morbida vis Fati subito restinxit, amaris
  Dulcia commutans gaudia tristitiis.
Restinxit; teque ulterius splendescere terris
  Non sinet: at Circus mox redivivus erit.

PETRO VICTORE PISANO
Vicetina Præfectura, quam optime ac ſplendidiſſime geſſit, abeunte.

Distichon.

Οὐκετίνης ἔπλεν Πισάνος ἔπαρχος. Ὁποῖος;
  Εὐδόκιμος. Ψηφὶς δ᾽ ἄρ τίνος; Οὐκετίνης.

Idem Latine.

Vicetiam rexit Pisanus. Quomodo? Recte
  Prorsus. Quonam æquo id Judice? Vicetia.

Idem Italice.

Vicenza il gran Pisani ebbe in Prefetto.
  Quale ei mostrossi? E magnanimo, e retto.
Chi dà la favorevole Sentenza?
  Chi vera e giusta dar la può, Vicenza. (*)

In

(*) Dì tal loro sentimento e grato animo ne diedero i Vicentini pubbliche immortali dimostrazioni.

In rerum Naturæ inquiſitione æque difficile eſt verum docere ac falſum redarguere.

In Viccltina Armonicorum Academia.

ELEGIA.

PArcite, Mortales, Naturæ arcana procaci
  Perscrutari oculo; nam vetat ipse Deus.
Ille omnes rerum causas & semina prima
  Jam tum perpetuas abdidit in tenebras,
Ex quo Orbem dias eduxit lucis in auras,
  Quicquid & in toto cernier Orbe datur;
Et multa circum prudens caligine texit,
  Essent ne nostris pervia luminibus.
Quid tamen hoc juvit? Fatorum infringere leges
  Nitimur, & vetitas sollicitare vias.
Hic utrum admixtum disquirit rebus Inane,
  An Natura omni horreat a Vacuo:
Ille, quibus Mundi constent elementa figuris
  Ultima, se socient quotque quibusque modis.
Et licet a vera cæci ratione ferantur
  Longius, amborum & claudicet ingenium;
Quælibet invenere ita demirantur, ut illos
  Tangere verticibus sidera summa putes.
Hunc juvat aut Lapidis causas tentare latentes
  Heraclii, ferrum qua ratione trahat;

Parrhasiamque idem semper cur spectet ad Arcton,
Unde iter ambiguo certius est pelago:
Aut penitus novisse ex partibus infinitis
Cuncta æque an constent corpora, vel minima.
Hic brutas pecudes, atque omnia sæcla ferarum
Contendit nulla degere vitam anima:
Ille negat, sensusque suos clamore tuetur
Haud parvo, pro se cum stet Aristoteles.
Qui si non satis est, Erebi de sede Sophorum
Protinus auxilio multa caterva venit.
Involvunt longis hinc sese ambagibus ambo,
Quo connituntur se explicuisse magis.
O genus infelix humanum, evincere dictis
Talia, & invicta quum ratione putas!
Nonne vides nullam æterni certaminis hujus
Posse dari finem? talibus in tenebris
Vita jacet, ratioque adeo parva est tibi rerum,
Falsis quæcumque ab sensibus orta viget!
Quin potius, curis istis nugisque relictis,
Ad sacra Musarum limina vertis iter?
Vera ubi cum primis Sapientia discitur, omni
Gemmarum atque auri pondere cara magis.
Illæ inter placidos saltus, & amena vireta,
Blanda ubi perpetuo vere renidet humus,
Te subito exceptum perdulci nectare pascent,
Oraque Castaliis quæque fovebit aquis:

Et

Et mox veridicis purgabunt pectora dictis,
  Ne quis te posthac aut timor exagitet,
Aut auri importuna fames, ira, atque libido,
  Quæ nostros animos tam male habere solent:
Virtutisque viam monstrabunt tramite recto,
  Quo tendas, ullo non remorante, gradus.
Sed quid ego incassum, demens, frustraque laboro,
  Et levibus ventis verba profundo mea?
Heu, canimus surdis nimirum, nostraque curat
  Illorum haud quisquam carmina nec monitus!
Quid facias illis? Jubeas pessum ire libenter,
  Et pœnam erroris persoluisse sui.
Vos melius nostris, Juvenes (1), ego versibus hortor:
  Currenti hoc quamquam est addere calcar equo.
Sat vos, sat video incensos ad grandia, tantæ
  Sat vestra exstimulat pectora laudis amor.
Hoc Duce (2) præsertim magnis se accingere rebus
  Quis dubitet? Certe haud aptior ullus erat,
Cui merito vestrum sese committeret agmen,
  Tutus inoffensas dispiceretque vias.
Quare agite, auspiciis hinc jam melioribus usi,
  Tendite Pierius qua juga tollit apex.
Nec vos ullius posthac violentia vincat,

Pa-

(1) Ai Nobili Giovani Accademici.
(2) Il Nobilissimo Principe dell'Accademia.

B. 4

Palanteſque novis ſedibus excutiat (3).
Quin durate magis, cœptoque inſiſtite curſu,
Dum ſit Apollinea figere in arce pedem.
Me liceat tantum veſtigia veſtra ſequentem
Vel procul Aonias cernere poſſe Deas.

In Nuptias Nobilium, Comitis Marci Antonii Triſſini Vicetini, & Comitiſſæ Cæciliæ ab Æmiliis Veronenſis.

ELEGIA.

EXere purpureos cœlo tandem, Heſpere, vultus;
Et quate fulgentem rite, Hymenæe, facem.
Hinc rapidis plauſus Atheſis mihi tollat ab undis,
Hinc geminet placido flumine Bacchilio.
Triſſineo portans Juveni nova gaudia, nuptui
Antiqua Æmiliûm e Gente Puella datur:
Non ulli inferior formæve decore Puella,
Aut rari omnigenis dotibus ingenii.
Quæ, riguo ceu ſuaverubens Hyacinthus in horto,
Matutina nitens albave Parthenice;
Sic patriis succrevit adhuc cultiſſima in oris
Cæcilia, & Charitum deliciæ & Veneris.

(Læ-

(3) Si allude a certe peripezie a cui l' Accademia ſoggiacque per l' invidia e malignità altrui.

(Lætus ades sacris; macte, Hymen o Hymenæe;
Ne desis sacris, o Hymenæe, tuis.)
Hujus in amplexu Bericæi gloria Marcus
Prima soli, effulgens nobilitate pari,
Nec meritis Sponsam non & virtutibus æquans,
Una sui Marcus magnaque spes Generis,
Hujus in amplexu faustos dehinc exiget annos,
Eximia aucturus Prole subinde domum:
Quæ, spectata sequens veterum vestigia Avorum,
Fortiter & Patriæ consulat atque sibi.
Eja age, Fama volans tantæ prænuntia laudis
Ilicet hinc sedes pergat ad Elysias:
Trissinei ut Proceres, utque Æmiliûm ordine longo
Lætentur tali pectora Conjugio.
Lætus ades sacris; macte, Hymen o Hymenæe;
Ne desis sacris, o Hymenæe, tuis.

Ad Guelfum Poetam, ſtrenuum vini potorem.

MUsa quidem Aoniâ sese prius irriget undâ,
Quam canat, in sterili vivere sueta jugo:
At Vicetino solitus tu nectare, Guelfe,
Perfundi, plenos & vacuare cados;
Hoc, hoc, si sapis, hauri: ipso vel Apolline digna
Hoc tibi nam large carmina sufficiet.

Do-

DOMINICO GARDUTIO J. U. D.
Parœciam SS. Fauſtini, & Jovitæ ineunte,
poſt Camillum Zampieronum, paulo ante defunctum.

O Qui nunc Mentes inter spatiare beatas,
  Præmia ubi meritis digna, Camille, refers;
Si, quæ tanta fuit tibi pridem hoc pascere Ovile,
  Ad summum te eadem cura secuta polum est,
Non equidem dubito, quin gaudia senseris illa
  Pertentare animos uberiora tuos,
Et talis cum Successor tibi proditus ante,
  Et nunc, ad munus cum venit ille suum.
Usque adeo & mores, doctrinam & nactus eandem,
  In cunctis penitus par similisque tibi est.

Cum acres quædam in Phyſicorum conſeſſu Diſſenſiones
circa levis cujuſdam Medicamenti vim ortæ eſſent.

TOt magnorum inter certamina tanta Sophorum,
  Quæ nostrum tandem sunt petitura caput,
I nunc, infelix, quem vel tenuissima tentat
  Febricula, i, Physicorum utere consiliis.
Teque lubens cæco illorum commite furori,
  Si cita & haud una morte perire juvat.

Ad

Digitized by Google

Ad Joſephum Pieribonium ex Polianæ Archipresbyteratu ad patrium Maladi translatum.

TE gavisa suo quanquam est Patria optima semper,
Eximiis culto dotibus ingenii;
Tandiu adhuc, tamen indigne secum illa ferebat,
Lætari adspectu non licuisse tuo,
Longinqui dum sollicitum te sacra popelli
Cura tenet, dum alias pascere pergis oves.
At nunc cum Patrii curam tibi mandat Ovilis
Archierevs; solidas pectore lætitias
Concipit illa: suum nec jam te appellat Alumnum;
Verius at Patriæ diceris esse Pater.

Inſignia D. Benedicti ſumente N. N. in Cœnobio &c.

QUam bene nunc & opes atque humanos Hymenæos
Proteris invicto, Virgo beata, pede!
Gaude sorte tua, vana hæc contemnere quæ sic
Audes, ut summum atque unicum adepta bonum.

In Leonicum.

CŒnantem vidi: fortasse videre cacantem
Te, Leonice, minus sordida res fuerat.

Ad

Ad egregios Fratres N. N. De Alba Stella Sorore, tria ſolemnia vota nuncupante in Cænobio &c.

HEu, quonam Stella ista novo splendore coruscans
Tam cito se nostris subtrahit ex oculis?
Virgineamque tegens fusco velamine lucem
Eligit æterna ducere nocte dies?
Sic secum indignans vestram malesana Sororem
Turba importunis prosequitur lacrymis,
Fallaces mundi illecebras dum fortiter ausa
Spernere, sese uni devovet illa Deo.
At queis a vulgo longe dedit esse remotos
Cœlestis Sophie, sanius & sapere,
Hoc vel præcipue, ut par est, nunc nomine secum
Vere lætatur quisquis, & ex animo.
Nempe suam hic prudens cupit illa abscondere lucem,
Et nitidum involvens occuluisse caput,
Ut mox, e tenebris educta & sordibus istis,
Clarior ipsa inter sidera præniteat.

De Julio, Sacro Concionatore.

QUæ peragenda aliis facundo præcipit ore
Julius, hæc factis exprimit usque suis.
Hinc trahit ad Christum facile omnes. nam trahit idem
Exemplo, si quos non satis eloquio.

Lu-

Luſus in Amicum inconſtantem.

CUm Fortuna tibi æthereas vix edito in auras
  Cognomen dedit ex nomine habere suo,
Tunc simul & proprios mores est illa tenello
  Elargita, suum, Pontice, & ingenium.
Mobilis atque levis Sors est: tu mobilis æque
  Dumtaxat constans in levitate tua es.
Quare admirari noli, si forte videris
  Nonnihil interdum displicuisse mihi.
Nam levitas morum (Tullio si credimus) una
  Et sola est veræ pestis amicitiæ.

De Quibuſdam.

NUgipolyloquidum illecebras longe effuge, Virgo,
  Intactæ cui aliqua est cura pudicitiæ.
Nempe tegunt omnes sub ovina pelle lupinam,
  Mentitaque struunt sub pietate dolos.

In publicam quandam Peripatiſticæ Philoſophiæ Diſputationem, illuſtri pompa ac celebritate peractam.

PRoh Superi, quantas quanto molimine nugas!
  Quis neget humanum desipere ingenium?

Digitized by Google

Ad Franciſcum N. Luſus.

SPes Francisce olim, nunc anxia cura Parentis
  Sollicitæ ante diem ne rapiare sibi;
Sic te perlongo recreatum emergere morbo
  Jam placata velint numina magna Deûm.
Ad studia ut liceat tandem intermissa reverti,
  Atque iterum tabulis applicuisse manum,
Quas neque Parrhasius, neque carpere possit Apelles:
  Si pudor est, Librum jam mihi redde meum.
Tertius, ut reor, aut quartus nunc volvitur annus,
  Ex quo illum invito me retines domino;
Rumpi meque sinis, frustraque reposcere magna
  Voce, atque iratas mittere sæpe preces.
Ulterius tentare, precor, nos desine; & ullus
  Si pudor est, Librum jam mihi redde meum.

In rigidum quendam morum Cenſorem.

LEgum latorem ne spreveris Antiochenum
  Quisquis amas vitæ nescius esse tuæ,
Atque lares proprios, hominum consortia & ipsa
  Evitans, silvas ac fera lustra sequi,
Cumque hæc præstiteris tamen omnia rite pieque,
  Vivere in æternis sollicitudinibus.

D. Cla-

D. Claræ Inſignia ſumente in Cænobio &c. Nobili Puellæ N. N.

PUrpureos igitur capiti, Virgo inclyta, honores
Demere, fulgentes & secuisse comas,
Ac tenerum auratæ corpus pro tegmine pallæ
Horridula & pulla veste operire potes?
Æternumque libet, victu contenta pusillo,
Angusta atque humili ducere in æde dies?
Scilicet: æthereis siquidem tibi pectora fervent
Ignibus, & sola stat tibi mente Deus:
Nec mage cuncta movent animum mortalia, quam cum
Tunditur Æolio flamine firma silex.
Macte animo. Stimulos Soror en superaddit eunti
Jam tibi, & exemplo te præit illa suo.
Tanta quidem inter vos primis concordia ab annis,
Magnanimæ Juvenes, unaque mens viguit,
Ut merito dubitem, gemino utrum in corpore credam
Unam utrique, animas anne habitare duas.
Vive diu, precor o, felix par tale Sororum.
Hæc tibi disrumpet fœdera nulla dies.
Quique hic jampridem te junxit, purior idem
Sidereo & Cœli in vertice junget Amor.

Digitized by Google

Nulla major ac præſtantior voluptas, quam Cupiditatibus imperare.

DEceptrix valeas hominum, insidiosa Voluptas,
Mellis sub dulci blanda sapore tegens
Lethiferos succos misere queis occidat omnis
Continuo placidi candida pax animi.
Id vos pro cunctis vel soli dicite, Amantes,
Anne serena satis fulserit ulla dies,
Ex quo vos primum jussit sua dira Cupido
Castra sequi, & tristi vivere servitio.
Quare hinc mi valeas: nam vulgo incognita mentem
Gaudia permulcent candidiora meam.
Continuisse animum siquidem, ne pravus oberret,
Hæc vera & solida est denique lætitia.

In Quendam.

PRofessus Medicum, morbo miser usque laboras.
Ignosce: ægrotus sic mihi es, haud medicus (1).

Lu-

(1) Esculapio Medico eccellentissimo . . . . tanto si confidò nella scienza sua, che disse: Che se in tutto il tempo ch'egli stesse al mondo mai fosse veduto infermo, non voleva esser riputato Medico. E bene ottenne quanto già avea promesso; imperciocchè senza alcun dolore e molestia menò la vita sua oltre il centesimo anno. *Lodov. Ariosto nell' Erbolato.*

Digitized by Google

Lusus
In Medicum ægrotantem: qui identidem illud uſurpabat:

Bella mihi Libitina paravit, ſibi rapta dolens corpora.

FAlleris, Autroni; tibi nunc Mors nulla minatur
 Bella, ſibi per te corpora rapta dolens.
Vos iræ cædiſque bonos habet illa miniſtros
 Uſque ſuæ; illi vos regna opulenta datis.
Vos ejus vires, vos magna potentia ſoli:
 Certa magis per vos ac properata venit.
Cur non vos potius foveat, non diligat illa,
 Et lethi immunes, ſi potis, efficiat?
Quare, ſi ægrotas, faſtus depone ſuperbos;
 Inſontem nolito inſimulare Deam.
Veſtri cauſa mali veſtra eſt inſcitia. Veram
 Ferre medentis opem diſce tibi ipſe prius.

Ad Melchiorem Terugium Parœciæ S. Petri in Vicetina Urbe curam ſuſcipientem.

PArva tibi patrii nunc Bacchilionis in undis,
 Melchior, en, Petri Cymba regenda datur.
Tu proreta bonus fac ſis; tu ſtrenuus alter
 Tiphys, & hinc dignus credier illa queat
Cui major Petri Cymba, & cui aureus ille
 Pro vitreo detur Bacchilione Tibris.

De Heraclito & Democrito.

HEraclite, vices humanas anxius usque
Spectas, & subitas solveris in lacrymas,
Ut tibi se quævis, multo licet illa cachinno,
Multo digna joco, res tulit ante oculos.
Quin, gravis hoc ipso ac sapiens vis esse & haberi:
Cum te sit nemo stultior ac levior.
Aspice Democritum, quanto sapientius, atque
Te melius vivat; ludicra cuncta putans
Quæcumque in terris magnoque sub æthere fiunt,
Summa atque ima æque omnia despiciens.
Hac siquidem nulla est major dementia, vanis
Quam frustra absumi pectora tristitiis.

Subſcribendum Aſello in tabula picto, quem ignavorum Puerorum collo, ignominiæ cauſa, ſuſpendendum, ſibi paraverat jocoſus quidam Magiſter.

IGnavi effigies crassa hæc & vilis Aselli
Convenit ignavis quam bene discipulis!

Aliud.

SUm pecus auritum: cui tu pendere videbis
Me collo, auritus sit tibi & ille Puer.

Aliud.

Aliud.

QUid, Puer, hic segnis collo tibi pendet Asellus?
Segnitiem cunctis prodat ut ille meam.

Ad Fratres N. N. Optimos Adoleſcentes.

DUlcia vina mihi, bellaria dulcia, dulcem
Vestra Cydonitem mittere larga manus
Haud est dedignata iterum, concordia Fratrum
Pectora, dulciculis non sine carminibus.
Dulcia cuncta quidem, sed qui tamen obtulit illa,
Multo mi vester dulcior est animus.

Ad Amicum, Juris utriuſque Lauream in
Patavino Collegio ſuſcipientem.

INteger ut recti esse velis justique Patronus,
In nullo quærens turpia lucra Foro,
Moribus idcirco ingenuis sacraque Sophia
Ornatum voluit te Pater ante Deûm:
Et nunc ipsa tibi insigni caput ecce corona
Hosce inter plausus cingit amica Themis.
Si bene te novi, tantorum numina Divûm
Frustratum nemo te merito arguerit.

Digitized by Google

72

Cum ſe votis ſolemnibus obſtringeret Fr. Benedictus a Vicetia in Cœnobio Reformatorum S. Franciſci.
Ad eruditiſſimum virum
Perinum Tomaſonium ejus Fratrem.

QUam sapiens tuus est vel primo in flore juventæ,
Quam prudens Frater, docte Perine, tuus!
Qui vitam cupiens cœlestem hic degere, tendit
Francisci in tenues contrahiturque lares.
Scilicet is novit quam stultum, cum bene possis
Tutus in exigua ac paupere puppe vehi;
In magna velle ac multo auri pondere onusta,
Quam portum teneas, mergier ante rate.

Ad Hieronymum Tornielium
Sacrum Oratorem.

PRoh superi! quam mira tuis, Hieronyme, dictis
Visque & Suada potens addita, quanta venus!
Quam bene demulces patriæ dulcedine linguæ!
Quam bene & invitos ad tua verba trahis!
Sic perhibent blandis Sirenas vocibus olim
Præterlabentes detinuisse viros.
Verum illæ id, subita miseros quo morte necarent:
Perpetuum at tua nos vivere dicta docent.

Ad

Digitized by Google

Ad Angelum N. N.
Primum Sacra facientem.

QUod subeas munus, quali digneris honore,
  Dum primum gressus ad pia templa moves,
Rite operaturus supremi ad Numinis aras,
  Sæpe diuque tuo fac reputes animo.
Grande ministerium, prope formidabile & ipsis
  Cœlitibus, quorum mens tamen uſque Deo
Plena, Deum omni studio contemplantur amantque,
  Nec quicquam humano e semine labis habent.
Sed quid ago? Angelicis jam moribus, Angele, dudum
  Vivis, & huc tanto dignus honore venis.
Macte animo, Juvenis; Patruique exempla secutus
  Finge Deo dignum te magis atque magis.

Ad Rev. Patrem N. N.
poſt egregie peractum Ordinis ſui Prioratum,
Vicetia decedentem.

ET rediturus abis, & mox (nec vanus aruspex)
  Ambiet emeritum sacra Tiara caput.
Hòc animus tristi paulum mœrore levatur:
  Hòc minus est nobis flebile dissidium.
Perge libens, venerande Senex, quo Numinis aura
  Te vocat, & meritis usque nitesce novis.

 MAR-

Marco Cornelio

Præſuli ampliſſimo, Vicetinum Epiſcopatum ineunti,

Δίστιχον.

Ἐσθλὸς, ἐπιστήμων, ἐλεήμων θ', ὡς κακὰ τρέψεις,
Μάρκε, κ' ἀΐδρείην τηλόθι; καὶ πενίην!

Idem Latine.

MUnificus, juſtus, doctusque, ut, Marce, fugabis
Pauperiem hinc longe, crimina, barbariem!

Aliud.

CArpite, Oves, Berico ſecuram in colle quietem,
Quam vigil en veſtras Paſtor ad excubias!

Tetraſtichon.

VIx Urbem ingreſſus, jam nunc decoratur Imago,
Marce, tua eximiis laudibus & titulis.
At nullo effulget magis illæc, quam quod egenûm
Solator vere diceris atque Pater.

In Leonicum Pictorem.

Κἂν ἀγαθὴ, Λεόνικε, πέλοι σέο πότνια τέχνη
Ζωγραφικὴ, σύ γε μὴν ζωγράφος ἐσσὶ κακός.

No-

Nobili Puella Inſignia D. Benedicti ſumente in Cœnobio &c.

Nomine N. N. ejus Fratris.

DUm tibi, Virginei properanti in tuta recessus,
  Gratatum adveniunt undique Pierides;
Turpe foret tacuisse mihi, nec tenuia quamvis
  Adjecisse meo carmina pro ingenio.
O te felicem, quam non male concitus ardor,
  Christi amor at verus sevocat usque sibi!
Hinc velut eximius bene cultis Flosculus hortis
  Ipsi eris, ipse sui te dape roris alet:
Fortunatorum ad sedes, æterna vireta,
  Donec te manibus transferat ille suis.

Parœciam ineunte N. N.

DIssidium cari quid adhuc lugemus Amyntæ?
  En datus, en illo non minor Alcimedon.
Hic, sarcire gregis possit qui damna relicti,
  Qui lacrymas nobis tergeat, unus erit.

Sepulcralis Inscriptio.

IRrita cum fuerint domino sua pharmaca, multis
  Reddita queis toties vita salusque fuit:
Hunc sibi Franciscus Maronus Pharmacopola
  Delegit nigra post funera Sarcophagum.

 Ad

Ad meritiſſimum Auctorem Muſæi
Lapidarii Vicetini.

CUncta adamanteo consumet dente Vetustas
Nomina, vel duris credita marmoribus.
At Chartis eadem felicibus indita, tanti
Sævitiem ac leges numinis effugient.
Ergo tui lætare, Pater Faciole, laboris,
Lætentur tecum tot Monumenta Virûm:
Quæ peritura alias, totum nunc sparsa per Orbem
Sæcula pervincent innumerabilia.

Ad eundem.

SI Latiæ venere tua ad præconia Musæ,
Cur non & mittat Græcia magna suas?

De Eodem.

Τἄυπα σοφῶς ἀναθεὶς Φακιώλιος, αὖθις ἐγείρει
Τὴν λᾶοις ψυχὴν, ὡς πότε Δευκαλίων.

Inſcribendum Villæ.

HAs ego mi exstruxi, securus ubi otier, ædes:
Has qui fortassis destruet alter erit.

Ele-

Elegidion.

BErgæi Colles, & Collibus addita Templa,
Villæque, & saltus, ac nemora Hesperidum;
Tuque Erethéne pater, placido qui allaberis amne,
Et formosa oculis Martia prata meis;
Quæquæ alia oppositis contemplor ab ædibus usque,
Naturæ hinc recolens mira opera atque hominum:
Salvete. Exoriens alma vos luce colorat
Phœbus, vos undas pronus ad Occiduas.
Hic mihi festantes choreas agitare Camœnæ
O quoties visæ, atque Evius, & Charites!
Numine quorum hilari afflatus, lususque jocosque,
Aut variis fundo carmina læta modis.
Vos, ah! bellorum nunquam sentire tumultus,
Cœlestesve iras Juppiter ille sinat.
Quin salvete iterum: vestras Pax incolat oras
Semper, & omnigenis Copia deliciis. (*)

De ſuburbana ſua Domo.

HIc puri Soles, & liberiore nitescunt
Astra polo, hìc Musis apta & amica quies.
Me hìc morbis curisque carens longæva Senectus
Æthereis dignum sedibus excipiat.

In

(*) Hæc dictabat Auctor, ad amœnissimum pulcherrimorum Locorum prospectum, in superiori domus suæ cubiculo ad meridiem ſitæ, in Vicetino Suburbio Ss. Felicis & Fortunati.

In Nuptias Comitis Jacobi Verità,
& Com. Mariannæ Sarego.
Auctor, illorum qui eas nuptias cantu celebrarunt,
ſic agmen clauſit.

HAc cecinisse tenus liceat: sat munera, Vates,
Ad sua jam vobis rite vocatus Hymen.
Quin hucusque libens patientes præbuit aures
Lætatus vestris Sponsus uterque modis.
Dudum illos aræque intus thalamique parati
Expectant: Veneri sacra litare juvat.
Accipias, Dea magna, horum libamina prima:
Nititur his tantæ spes generosa Domus.
Fac tecum Pax alma colat: fac, mensibus actis,
Ad Patrem simili rideat ore Puer:
Qui paribus deinceps animi virtutibus illum,
Egregiis necnon artibus æquiparet:
Alipedumque etiam cursu ac moderamine equorum
In tota æque sit nobilis Ausonia.

Luſus in Amicum.

ERgo, quod me istinc tandem bona fata tulerunt,
Jure incredibili gestio lætitia:
Nam videor jam posse, mea sine parte pericli,
Te usque atque usque dehinc dicere δημοβόρον.

In Nuptias N. N.
Nomine ingenui cujuſdam Pueri.

QUod veſtras, Sponſi, cupidus licet, haud tamen auſim
Laudes carminibus concelebrare meis,
Et genus & formam cantu ſuper aſtra vocare,
Egregii ac dotes non minus ingenii;
Hoc nempe in cauſa eſt, noſtris quod viribus impar
Sumere onus, ſapiens rite Camœna vetat:
Et puero fas eſſe negat male nota referre
Verſibus Idaliæ dona jocoſque Deæ.
Jure quidem id vetat: at non æque jure vetabit
Saltem hæc quin liceat paucula; Conjugium
Scilicet hoc vobis fauſtum, Sobolemque precari
Veſtri quæ generis digna ſit atque animi.

In Nuptias Com. Ludovici a Vulpe,
& Com. Romildæ a Portu.

JAm data Aloyſio Romilda eſt Sponſa Marito,
Quocum perpetuos exigat uſque dies;
Multiplicique Domum fœcundet Prole, Atavorum
Virtutes, Generis quæ decora & referat;
Sive cruenta ſequi duri certamina Martis,
Sive artes libeat, Docta Minerva, tuas.
Ter felix, Vulpî, Virgo cui contigit, una
Qua tua tantopere eſt aucta futura Domus.

In caſdem Nuptias .

ROmildam antiquo Portorum sanguine cretam
  Ad patrios ducit Vulpius, ecce, Lares.
Quam felix tanta, proh! Conjuge, Sponse, futurus!
  Quam felix tanto, Sponsa, futura Viro!
Gaude, Berga, novo Domini auctus & ipse Hymenæo:
  Collibus hinc o lux addita quanta tuis!

Ad Amicum.

QUid toties quereris, nullos hoc tempore honores,
  Nec sua Virtuti præmia, Amice, dari?
Aspice, defuncto quem nunc tua Feltria ἐπάρχῳ
  Suffectum faustis excipit ominibus,
Laude illum omnigena meritis & honoribus auctum
  Præsentis modo non numinis instar habens.
Huic nec amicorum studium, nec census avorum
  Ingens, non tituli, nec generosa domus;
Sed pietas, sed rara fides, & qua undique claret
  Doctrina hoc tantum promeruere decus.
Quare jam tales posthac ne funde querelas,
  Nec desponde animum. Quin magis atque magis
Hujus ad exemplum vera virtute potiri
  Contende, & solidis enituisse bonis:
Tu quoque (nec temere hoc animus præsagit) ut olim
  Percipias meritis præmia digna tuis.

De

De itinere quodam hyemali.

Et saxa, & malefidas exsuperavimus undas,
Ac Bellunensis tædia longa viæ;
Quæ salebris scrobibusque artus mihi fregit & ossa,
Excutiens imis viscera pectoribus.
Horrendum minus esse atque intractabile multo,
Nigra reor quod sub Tartara ducit iter.
Adde & pergelidum, qui nos super adstitit, imbrem,
Ipsam usque ad metam, noctem hyememque ferens.
Dî facite, o precor, ut saltem sit Sole reducto
Mox reditus nobis mitior in Patriam.

Hymnus.

Clara Latonæ soboles Jovisque,
Phœbe, qui nomen mihi das Poetæ,
Quæque supremi colitis, Camœnæ,
Culmina Pindi;
Rite si lauri foliis revinctus,
Aut pedem sacris tetuli choræis,
Aut pie vestros colui coloque
Semper honores:
Bergico quidquid vacui sub antro
Lusimus, vestra & Dryadum canentes
Numina, oramus, date multa possit
Vivere sæcla.

Digitized by Google

52

Sonetto di Ventura Monaci. Del 1348.

SE la Fortuna t'ha fatto Signore,
Dispensa e guarda quel che vuol misura,
Non esser del cader senza paura,
Quando fermezza credi aver maggiore:
Non aspettar che sia sofferitore;
Se alcuno offendi contro a dirittura.
Chi nello stato più si rassicura,
Talor pruova caggendo più dolore.
Non riguarda Fortuna chi nè quali:
Sempre come le par volge la rota;
E non ti dice guarda quando cali.
Or tu che reggi, una parola nota:
Non esser ignorante, quando sali,
Quant'ella n'ha lasciati entro la mota.

Idem Latine,
Verſibus Phærecratiis.

SI Fortuna benignò
Nunc te lumine visens,
Auro ostroque micantem
Regni flectere habenas
Jussit, dispice cautus
Qua primum ratione

Men-

Digitized by Google

Mentem sobrius ipsam
Conserves moderatam,
Ac fastu malesano
Invisoque carentem.
Inter læta, metu fac
Vivas non sine magno;
Ne mox irreparanda
Prolabare ruina,
Quando plus tibi fingis
Firmitatis habere..
Si quem læseris unquam,
Extemplo immemorem ne
Credas: nam tenet iram
Alta mente repoſtam;
Vindictæque, dolorem oc-
Cultans, tempora quærit.
In regni nimium qui
Fidit, & sibi gaudet
Immutabilitate,
Spe frustratus inani,
Tardæ credulitatis
Persæpe arguit ipsum
Semet, stultitiæque.
Nullum cæca veretur
Fortuna; ut lubet, orbem
Versat, nec jubet unquam

Præ-

Præcavisse cadentem.
O qui sceptra tenes, hoc
In te percipe dictum,
Et sub pectore conde.
Cum subvexit in altum
Te rerum arbitra, volvens
Leni flamine turbinem,
Ah ah, ne fugiat te,
Quam multos eadem Sors
Vultu oblata sereno,
Decepitque, profundo
In cœnoque reliquit.